solet et tota nescio quomodo suaviter afficere ita ut tota quodammodo a me emancipa-
ri abalienari et nescio quo abstrahi incipiam. Subito enim innovor
et tota immutor et mihi bene esse incipit ultra quam dicere sufficiam
exhilaratur conscientia in oblivionem venit omnis preteritorum dolorum mi-
seria exultat animus clarescit intellectus cor illuminatur desi-
deria iocundantur iamque alibi nescio ubi me video et quasi
quiddam amplexibus amoris teneo et nescio quid illud
sit et tamen illud semper retinere et nunquam perdere toto nisu
laboro. Luctatur quodammodo delectabiliter animus ne recedat ab
eo quod semper amplecti desiderat et quasi in illo omnium desideriorum
finem invenerit summe et ineffabiliter exultat nichil am-
plius querens nichil ultra appetens semper sic esse volens. Numquid ille
idem est dilectus meus? Queso dic michi ut sciam si ille est ut
si denuo ad me venerit obsecrem eum ne recedat sed semper
mecum permaneat.

Vere ille est dilectus tuus qui visitat te. Sed venit
invisibilis occultus venit ~~ut tangat te~~ incomprehensibilis
venit ut tangat te non ut videatur a te venit ut admo-
neat te non ut comprehendatur a te venit non ut totum se infundat
se sed ut gustandum prebeat se non venit ut impleat desiderium
sed ut trahat affectum. Primicias quasdam porrigit sue di-
leccionis non plenitudinem exhibet perfecte satietatis. Et hoc
est quod maxime ad arram desponsacionis tue pertinet quod ille qui
in futuro se tibi videndum et perpetuo possidendum dabit ut ali-
quando quam dulcis sit agnoscas se tibi ad gustandum prebet. Simul et
interim de absencia eius consoleris quia eius visitacione ne
deficias reficeris. Ecce anima mea multa iam diximus
post hec omnia unum agnosce unum dilige unum sequere unum
apprehende unum posside. Hoc opto hoc desidero
hoc totis precordiis concupisco.

De claustrali vita

Vita claustralis debet esse placata. Districcio decani
paupertas procurator. Pertinui timor. Vestiarius similitas

de claustrali vita